

Alte Drucke

**CONCIONES || IN EVANGELIA || ET EPISTOLAS, QVAE || per
totam Quadragesima[m] populo in Ecclesia || proponi
solent, è Tabulis F. Iacobi Veldy ...**

Prielee, Gilles vanden

Parisiis, 1567

FERIA SEXTA HEBDOMADAE TERTIAE QVADRAGESIMAE, EPIstola, Num. 20.

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150295

FERIA SEXTA
FERIA SEXTA HEBDOMADAE
TERTIAE QUADRAGESIMAE, EPI-
stola, Num. 20.

*Cumque indigeret aqua populus, conuenerunt
aduersum Moſen, & Aaron, & Verſi in ſe-
ditionem, dixerunt, &c. Finis Epistolæ: Num
de petra hac vobis aquam poterimus ciicere? &c.*

*Seditio Tu-
deorū erga
Moſen &
Aaron.*



CONTINET hæc historia quatuor.

*Non ſemper
gubernatorū
negligentiæ
imputādū ſi
quæ calami-
tas in Rep.
accidat.*

*Quid in re-
bus dubiis
agendum.*

I Primò, Iudæorum erga Moſen, & Aaron ſeditione, ob inopiam aquarum concitatam, qua inſignem ſuam, quam de Deo habebant, diffidentiam, & incredulitatem prodebant, dum toties illius potentiam experti, perſiſtunt tamen in incredulitate, cui ſauitiam adiungunt, vt ſemper eſt ad ſeditione propenſus populus, ignorans quot eam incommoda ſequi ſoleant, nimirum, Reipub. euerſiones, regnorum depopulationes, Principum cædes, legum ac iuris oppreſſiones, & incendia urbium, aliaque innumera mala, vt cetera pace, ac concordia, res paruę creſcunt. Vbi enim populus Deo, & magiſtratuī paret, imperia florent, regna dilantur, æquitas & iuſtitia viger, Principes ſuauius regunt: ſumma denique felicitate aguntur omnia. Parcendum igitur ſuperiori authoritati, non ſolū propter Deum, ſed etiam propter conſcientiam, Ro. 1. Neque ſtatim gubernatorum negligentia imputandum, ſi quæ calamitas in Repub. accidat, ſed voluntati diuinæ vel punienti peccata, vel exercenti noſtram patientiam, vel probanti fidem, & erga ipſam obedientiā. Sic enim ſolet Deus ſuos ſubinde exercere fame, peſte, bellis, & inopia. Quæ quum ſint piis exercitiis virtutum, & impiis poenæ peccatorū, nec præter Dei voluntatē accidat, nunquam poſſunt Principum, aut magiſtratuū negligentia imputari, niſi forte quia ipſorum peccatis Deus irritatus ſtatuit punire, vt de Dauide docet ſcriptura.

2 Secundò, Quid in rebus dubiis agendum ſit magiſtratuī Eccleſiaſtico, & ciuili, dum fuit ignobile vulgus, nec vllā ſuperſeſſe ratio videtur prohibendi mali, ſed periculum eſt augendi potius quàm miuendi, ſi

obſiſtas. Proinde communi concordia orent in tabernaculo ſcederis, Deum ex fide innocens, & populi neceſſitatem exponat. Eſt enim in rebus afflictis vnica ex fide ancora orationis amplectenda, exemplo Moſis, Aaronis, Dauidis, 1. Reg. 24. Ezechie, 4. Reg. 19. Quanquā enim non ignoret Deus noſtras afflictiones, vult tamē à nobis ſibi exponi, ac declarari, vt, iuxta Auguſt. Epif. 121. cap. 8. exerceat deſiderium noſtrum, probet fidem, moneamur noſtræ imbecillitatis, & agnoſcamus illius potentiam. Eſt autem obſeruāda huius orationis, quaſi pro populo Deo obtulit Moſes, methodus. Neque enim, vt erat clementiſſimus, petit rebellis populi interitum, perniciem, & vindictam. Eſt enim hoc tyrannorum, non eorum, qui Rempubl. ſuam ſaluam cupiunt: exigebat quidem ordo iuſtitiae, vt tantum facinus impune non lueret. Atqui veri eſt Principis ita mala punire, vt tamen ſeruet potius quā perdat ſubditos. Neque irrita eſſe poteſt talium oratio, ſicut neque Moſi fuit. Nam apparens ſubito gloria Domini oſtendit diuinam protectionem, & auxilium caeleſte omnem magiſtratum, ſi quando Dei cauſſam egerit, tueri ac defendere, vt qui ſit miniſter Dei.

Veri principis eſt ita mala punire, vt tamen potius ſeruet quā perdat ſubditos.

3. Tertiò, Fauorem, quem Deus legitimo magiſtratu, populari ſeditione oppreſſo, exhibere ſolet, dum tam repente audit orantem, conſolatur in afflictione conſtitutum, & remedium præbet, quo neceſſitati ſuccurritur. Tolle, inquit, virgam, & congrega populum, tu, & Aaron frater tuus, & loquimini ad petram, & illa dabit aquas. Hunc locum quia Paulus ad ſublimiorem, id eſt, allegoricum ſenſum traxit, age & illum ſequamur. Docet enim hoc factò ſignificatam fuiſſe gratiam noui teſtamenti per Chriſtum allatam, virtutem ſacramenti baptiſmi, quo regeneramur in ſpem viuam, & ſuauiſſimam ſcripturatum, qua ſciibundos eſt conſolatus, dum ait, 1. Corint. 10. Bibebant autem de ſpirituſuali conſequentem eos petra: Petra autem erat Chriſtus. Huic præceptum erat, vt loqueretur Moſes coram multitudine, id eſt, vt ludæi crederent Chriſtum eſſe verum Meſſiam in lege promiſſum, filium Dei viui, conditorem cæli & terræ, & Redemptorem generis humani. Atqui dum Moſes

non paret Dei verbo, sed ex incredulitate dubitat, nec petram, ut debebat, alloquitur, sed percutit, primus iustus irritus fuit, ita humilitate Christi offensus Iudaei negant ipsum esse filium Dei, & dum incredulitati odium addunt, & prae-textu legis ipsum legis authorem persequuntur, iusto Dei iudicio fit, ut finem legis iustitiam, remissionem peccatorum, & vitam aeternam non assequatur, quia offenderunt in lapidem offensionis, & petram scandalum. Atqui ut secundo ictu egressa sunt aquae largissimae, ita ut populus biberet, & iumenta, ita factum est, ut dum Christi humanitas crucifixa est, & factus est fons patens domui Iacob in ablutionem menstruatae, copiosissime sese in Iudaeos, & gentes effuderit plenitudo collecta ex utrisque Ecclesia, in qua erit ipse Christus omnia in omnibus.

*Ob diffidentiam puni-
tus Moses.*

4 Quartò, Iustum supplicium, quo est ob suam de Dei potentia, & virtute diffidentiam punitus Moses. Nullum enim peccatum aequè solet Deus in Sanctis detestari, quam ipsam incredulitatem, propter quam, ut loquitur Apostolus, disceditur à Deo vivo, Hebr. 3. Venit ira Dei super filios diffidentiae, Eph. 5. & poenis tam corporalibus, quam aeternis à Deo punimur. Quanquam enim incredulitas fidem Dei euacuet, & credulitas eam magis confirmet. Est enim Deus verax, vult tamen potissime perfecta fidei protestatione à nobis coli, vult nos credere verbo ipsius, ex ipso pendere & sperare, & in ipsum fiduciam omnem collocare, non solum corde credendo, sed etiam ore confitendo, & praedicando (maximè in rebus dubiis, & aduersis) ipsius admirabilem potentiam, maiestatem, & gloriam. Haec qui non fecerit, gravissime sustinebit iudicium. Sicut enim Moses exilio terrae sanctae plectitur, ita, nisi poenitentia subsequatur, aeterna illa beatitudine nunquam potietur, qui coram multitudine Deum non sanctificauerit. Ergo ipsum, ut oportet, ex fide inuocemus, agnoscamus ipsum Patrem misericordiarum, & Deum totius consolationis, & laudemus cum Prophetis dicentes, Dominus regit me, & nihil mihi deerit, &c. Ps. 124. sic fiet, ut petrae huius aquas viuas accipiamus, spiritum nimirum gratiae caelestis.

Venit ergo in ciuitatem Samariae, quae dicitur Sichar, iuxta praedium, quod dedit Iacob, Ioseph filio suo, &c. Finis Euangelij: Vos adoratis quod nescitis, nos adoramus quod scimus, quia salus ex Iudeis est, &c. *Genes. 48.*



CHRISTVS sublimia religionis Christianae mysteria huic Samaritanæ communicat, quæ abscondita à sapientibus erant huius mundi. Agit autem præcipuè hoc dialogismo Christus tria.

1. Primò, Occasione aquæ, quam sitibundus, (nam hora erat quasi sexta, quæ nobis est meridies, in ipso æstu) & fatigatus, scilicet, ex itinere, quod non curru, aut equo vectus, sed pede, vt summam suam paupertatem demonstraret, transegerat, petit, vt ad colloquium Samaritanam inuitet, quæ à Iudæorum consuetudine abhorrebat: docet fore vt gratia noui testamenti in gentibus effunderetur. Sese enim idè à Patre esse missum sciuit, vt nouam hanc Philosophiam ignotam mundo afferret: idè inquit, *Si scires donum Dei: & quis est qui dicit tibi, Da mihi bibere.* quasi dicat, Ignoras tu, vt etiam mundus, magnū illud pietatis sacramentum, quod, 1. Timot. 3. manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prædicatum est gentibus, creditum est mūdo, &c. Hoc donum qui ex lumine fidei agnoscit, experitur suam inædiam, sitim, necessitatem: proinde petit ab eo, & accipit aquam viuam, donum, scilicet, gratiæ cælestis, quæ mundat ab omnibus inquinamentis, Ezech. 36. Ephes. 5. Sitientes recreat, Apocal. 22. Isa. 55. & laborantes & oneratos reficit, Matthæi 11. Hi sunt enim effectus Spiritus sancti, quem intelligit Christus: hunc qui acceperunt, flumina de ventre eorum fluunt aquæ viue, Iohan. 7. Porro mulier, quæ nondum sublimem hanc assequi poterat doctrinam, vt pote carnalis adhuc, sui fontis aquam commendat, à dignitate personarum,

*Flora sexta
meridies.*

*Donum
Dei.*

quæ ea sunt vsq; à copia, & ab antiquitate. Christus autem vt hanc prorsus à rebus hisce caducis ad caelestem hanc Philosophiam pertraheret, ostēdit virtutem eius, quam pollicetur, aquæ esse, vt fideles in Christo regeneratos fide, spe, & charitate, iustitia, aliisque fructibus spiritus, ita exornet, vt tandem non sitiant in æternum: dum. s. reuelata facie gloriam Domini contemplantur. Hoc enim est quod ait, *Qui biberit ex hac aqua non sitiet iterum.* & insuper occasione secreti, quod tantumquam Deus, & *κρυστογώσῃ*, Iere. 17. poruit de cōditione mulieris prodere, quo ostendit se nihil præter salutem humanæ naturæ spectare: eam autem nulli contingere posse, nisi præcedat sui ipsius cognitio, quam ignorantia Dei peccati illecebræ, & terrenarum rerum cupiditates tollunt, donec restituatur per Christum. tunc enim (vt in hoc videre est) accrescit cognitio Redemptoris, scientia rerum diuinarum, & desiderium veritatis. Nam, quem antè Iudæum contemptum appellauit, iam fide illustrata Dominum, Prophetam, & Messiam appellat: *Domine*, inquit, *vt video, Propheta es tu.* Proinde occasionem nacta, vehemens discendi studium prodit, solutionem petit agitata: diu inter Iudæos, & Samaritanos quæstionis: de verò, scilicet, cultu Dei. an scilicet in monte Garisi, vt Samaritani: vel Hierosolymis, vt Iudæi, sit adorandum. Vtrique autem sibi videbantur certi & securi de suo cultu. Nam Samaritani sequi se dicebant antiquam patrum consuetudinem, scilicet, sanctissimorum Patriarcharū Abrahæ, Isaac, & Iacob, qui in monte hoc adorauerunt. Samaritani isti qui fuerint, vide 4. Regum 17. nempe, Babylonij & Medi, in Samariam, postquàm esset à Chaldeis expugnata, translati: quum decem Tribus, quæ Israelitæ vocabantur, essent abductæ, hi partem legis, id est, pentateuchum, tantum admiserunt, & idolomaniam cum vero Dei cultu adiunxerunt. Verum Iudæi habebant expressum Dei verbum, 3. Reg. 8. 9. testimonia Prophetarum, Isa. 56. Deut. 12. Christus autem volens vtranque opinionem confutare, docet Samaritanos, & Iudæos errare, quia illi adorabant, quod nescirent, 1. Corinth. 8. Scimus quia idolum nihil est, sed isti etiā verum Deum adorarent, quia tamen

tamen credebant nusquam eum, quàm Hierosolymis orantium preces audire, posse grauitèr allucinabantur.

2. Secundò, Confutat fallam Samaritanorum, & Iudæorum superstitionem, quam vtrique de adorandi loco imberant, docens quòd neque in Hierosolymis, neque monte Garizin, sed in omni loco, iuxta illud Malach. 1. Non est mihi voluntas in vobis: sed in omni loco homini meo offeretur oblatio munda. Non enim ad certa loca Deus est alligatus, sed vbique adest, cordium gemitus audit, & orantes videt. Si tamen, vt docet hic Christus, veri sint adoratores, hoc est, si Patrem in spiritu, & veritate adorent. Nam & Pater tales querit adoratores, non qui labiis sic adorant, vt cor procul absit: horum enim mens sine fructu est, 1. Cor. 14. & qui in multiloquio se putant exaudiri, Matth. 6. Hos enim derestatur Ita. 29. Populus hic labiis me honorat, &c. sed qui corde credant ad iustitiam, & ore confiteantur ad salutem, vt, scilicet, psallant spiritu, psallant & mente, 1. Corinth. 14.

Samaritanorum & Iudæorum superstitio.

3. Tertiò, Docet quare veram fidelium orationem oportet esse in spiritu & veritate, quia, inquit Christus, Deus spiritus est, scilicet increatus, immèius, cuius maiestas nulla ratione humana, imò ne Angelica, comprehendì potest, totus vbique præsens. Ergo & in spiritu colendus est, venerandus, & adorandus: neque in spiritu tantum, sed veritate, in corde perfecto, in iustitia, & sanctitate veritatis. Opponit autem Christus cultum, quem vult æterno Patri exhiberi, Iudæorum, Samaritanorum, & gentilium caeremoniis, qualia erant typica, holocausta, sacrificia, & oblationes, superstitiones in certo loco orationes, & vota, & impia sacra victimæ ex hominum carnibus, & cultus dæmonibus exhiberi, non autem, vt impiè volunt Suuencfeldiani, Anabaptistæ, & Enthusiastæ, Christianæ religionis caeremoniis, quæ in spiritu & veritate, ex fide, scilicet, & charitate Deo offeruntur. Siquidem in ea quæcunque sunt externæ caeremoniæ, vel scripturis, vel Apostolorum, auc patrum traditione institutæ, ad fidei, spei, charitatis, & religionis Deo exhibendæ spectant promotionem, adeò vt si afferri possint, quæ ad hunc scopum referri nequeant,

Oratio fidelium in spiritu et veritate fit.

aut saltem ad proximi ædificationem promouendam,
has ego nulla ratione ferendas putarem.

SABBATO HEBDOMADAE TER-
TIAE QUADRAGESIMAE, EPIST.

Daniel. 13.

Et erat vir habitans in Babylone, & nomen
eius Ioachim: & accepit uxorem nomine Su-
sannam, filiam Helciae, pulchram nimis, &c.
Finis Epistolæ: Eamus domum, quia hora præ-
dij est. Et egressi recesserunt à se, &c.

Libidinoso-
rum senum
intemperan-
tia.

HISTORIA Susannæ cōplectitur quatuor.
1 Primò, Libidinosorum senum intempe-
rantia, qua ostro libidinis perciti, Susannæ
sanctissimæ, castissimæ, & formosissimæ,
freti ea quam sustinebant dignitate, pudicitiam tentâr.
Vnde agnoscere licet quàm iunt Dei dona, vt sunt po-
tētia, autoritas, diuitiæ, & dignitas, periculosa iis qui
Dei sunt destituti cognitione & timore: facillimè enim
eis in grauissimâ sui perniciem abutitur caro, dum vi-
det posse impunè se suam explere libidinem. Nā remo-
ta Dei, & hominum reuerentia, & timore, quibus ceu
frenis humana coërcetur audacia, mox cæca in præceps
ruit, & pro affectus varietate vel ad libidinē, auaritiā,
dominatum, superbiam, & inuidiam trahitur animus,
iudicio ita sopito, vt ne vestigium illius superesse vi-
deatur: facilè nanque rationem superat animi perturba-
tio: quò fit, vt honestum, decorum, iustum, & æquum
negligat, quemadmodum hi impij senes, libidine iam
ebullientem animum circumferentes, depolita personæ,
& dignitatis, quæ gerebant, consideratione, exarserunt
in concupiscentia, euerterunt sensum, declinauerunt
oculos suos ne viderent cælum, nec meminissent iudi-
ciorū iustorum. Hos nanque tristissimos fructus parit
hoc malum. Obserua quæ ex illicito alienæ formæ aspe-
ctu homini accidunt mala: Vide Eccles. 23. 26.

2 Secundò, Susannæ in sua pudicitia tuenda ad extre-
mum vsque mortis periculum constantiam: quanquam
nonnihil offenderit solitaria deambulatione, & cor-

Susannæ
pudicitia.